Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1395
Quelle:
Copyright:

ſtanti. Diviſum eſt porro in V. Libros, quorum oeconomiam verbis Interpretis noſtri damus: *Le premier liure ſera de la vraye armeure des cheualliers de dieu et de lexcellence de la ſainte foy catholicque. Le ſecond ſera de la battaille des faulz criſtiens et hereticques contre icelle forterеſſe de la foy et auſſy de leur ſubtille deception. Le tiers ſera de la battaille des iuyfz contre icelle. de leurs enormes crudelitez et obſtinez malices. Le quart ſera de la battaille des ſarrazins contre icelle et de labbomination et ordure de leur loy. Et le. V^e. ſera de la battaille des dyables contre icelle et de la perdition de leur ſeignourie et de leur miſere.* Atque his argumentis adcommodata librum quemvis pictura infignis praecurrit. In fronte Operis comparet *Tabula Capitum.* Hanc excipit Interpretis *Prologus*, in quo ait, ſe duas maxime ob cauſſas ad hoc Opus vertendum animum adpuliſſe, ut nimirum verae fidei religionisque notitia etiam in vulgus augeretur, utque principibus et nobilibus viris, qui vernacula lingua magis delectantur, hujus libri lectio jucundior redderetur. Sequitur *Prologus* Autoris, quem Noſter ſic reddere incipit: *Turris fortitudinis a facie inimici. Ces parolles ſont eſcriptes en la pſalme. lx^e. de dauid et ſignifient en francois Tour forte et de grande deffenſe pour reſiſter a lennemy &c.* An Verſio haec typis edita unquam fuerit, dicere non habeo. Opus vero ipſum ob ea, quae ad Res Hebraeorum, Arabumque ſuppeditat, utilitatis non contemnendae lingua latina, qua primitus ſcriptum fuit, mox ab inventa arte typographica prelum occupavit. Itaque praeter geminam Editionem *ſ. l.* et *a.* in *fol.* admodum vetuſtam cenſentur Koburgerianae 1485. *f.* 1494. 4. et alia *ſ. l.* 1487. 4. De tardioribus conſule *Clement Bibl. cur. biſt. et crit.* loco cit.

Exemplar noſtrum ex Aula Burgundica Maximiliani I. Tempore in Auſtriacam demigraſſe ſuadent, cum Crux decuſſata, quam *S. Andreae* appellamus, in imagine *Libro IV.* praefixa conſpicua, tum Theca Codicis exterior liliis, iisque inſtrumentis igniariis, e quibus articuli torquis aurei Velleris conſtant, perſperſa.

CCCLXII.

Codex conſarcinatus e nullius momenti Tractatiunculis et Excerptis, Seculoque XV. peſſime conſcribillatus recenſeri non meretur. 4. 429

CCCLXIII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 83. 4. nitide perſcriptus, rubricisque enotatus continet *Petri Alphonſi* Hebraei, ſed, ut ipſe in *Prooemio* narrat, *Oſcae* in *Hiſpania* an. 1106. ſponſore *Alphonſo VI. Caſtellae* et *Legionis* Rege in Feſto *Petri* et 430

Pauli